

286. **O. calyptostalix** Kränzl. n. sp. — Pseudobulbi, folia mihi non visa. Inflorescentia ad 30 cm longa, leviter flexa, paniculata, pauci- ad pluriflora, congesta, panicula circ. 12 cm longa, bracteae ramorum amplexicaules ovatae, acutae, breves, illae florum parvae, subsimiles, pedicelli cum ovarii tenuibus curvuli, 1,5 ad 1,8 cm longi. Sepala libera petalaque subaequalia nisi paulo latiora e basi linearis angusta obovata, obtusa, omnia reflexa, 9 ad 10 mm longa, antice 2,5 mm lata, petala 3,5 mm. Labelli lobi laterales parvi, late oblongi, apice rotundati, sensim in isthmum longiusculum lineare angustata, lobus intermedius flabellatus, profunde bilobulus, lobuli cuneati, antice retusi, crista labelli primum linearis, antice convexa, obscure tridentata, tota superficie minute puberula, totum 1 cm longum, basi 7 mm, antice 1 cm latum. Gynostemium e basi angusta valde dilatatum, late alatum, adeo proclive ut cuculli instar basin labelli obtengat, alae superne et infra acutatae, margine ceterum integrae, rostellum haud longum, buccae tabulae infrastigmaticae bilobulae. — Floret?

Subäquatoriale andine Provinz. Costa Rica (Endres!).

Nota. Specimen ut fere omnia Endresiana mancum; inflorescentia feliciter bene exsiccata. Omnia phylla florum undulata vel crispula sunt, pro certo tamen affirmare non audeo, an viva hoc charactere gaudeant, an solummodo exsiccando crispata sint. Alis ad *Ornithorhyncha* vergit, a quibus ceterum rostello abbreviato et tota indole florum satis discrepat. Nulli proprie affine, gynostemio ad labellum deflexo ab omnibus diversum.